

tio necessaria est, non ut per se causet, sed ut conditio applicans activa passivis. Alii vero quibus hoc non satisfacit, dicunt ministerium Ecclesiæ non solum esse conditionem necessariam, sed etiam esse actionem causæ moralis suadentis, et invitantis exterius voluntatem. Nam talis causa aliquo modo operatur ad vocationem internam, disponendo subjectum, et ideo Paulus, eodem citato loco, Evangelii prædicatores vocat *adjuvatores Dei*; et 2 Corinth. 6, ait: *Adjuvantes exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, etc. Sed hoc in re non differt a præcedenti, quia tota causalitas moralis physice non transcendit causalitatem per accidens, et juxta subjectam materiam non rarum est illam conditionem esse per modum exhortationis et inductionis moralis, præterquam quod etiam in hoc genere causalitatis moralis aliquid deest huic exteriori excitationi ministrorum Ecclesiæ, propter quod etiam in genere moralis causæ dici debet potius conditio necessaria, seu causa per accidens, quam propria causa per se, etiam moralis, ut videbimus.

4. *Assertio.* — *Dua res in hac excitatione consideranda, supernaturalitas, et gratia pura.* — *Supernaturalitati entitativæ non repugnat ministerium sensibile.* — Dico ergo duo posse in hac excitatione divina considerari, unum est esse entitatem supernaturalem, aliud, esse gratiam puram, seu gratis datam: neutri ergo rationi repugnat quod ab aliquo ministerio externo, seu actione sensibili pendeat. Prior pars declaratur, quia, ut dictum est, verbum externum non est propria causa excitationis supernaturalis, sed per modum signi excitantis mentem, et quasi præsentis occasionem, ut supernaturaliter a Deo excitari possit; ergo quod illa prævia occasio, et quasi physica præparatio, aut animi commotio naturalis sit, non obstat quominus motio, quæ a Deo solo per se ac principaliter fit, in sua entitate supernaturalis sit. Addo etiam quod, licet Deus uteretur verbo prædicationis, aut specie illius menti impressa, tanquam instrumento proprio et physico, ad excitandum intellectum, hoc non obstaret quominus illa excitatio esset in sua entitate supernaturalis, quia Deus potest uti re naturali, imo corporea, ad efficiendam rem supernaturalem. Unde aliqui probabiliter existimant per divina Sacramenta, præsertim per Eucharistiam, Deum excitare in accedentibus digne hujusmodi affectus gratiæ, quamvis supernaturales sint. Quod autem in hac parte dictum est de ministerio Ecclesiæ et externa

vocatione, extendi potest ad ministerium Angelorum, et ad vocationem, non solum externam, sed etiam internam, quatenus per Angelos fieri potest. Nam etiam illi non possunt per se efficere supernaturalem excitationem, hoc enim est proprium Dei, cujus solius est propriam gratiam infundere; possunt tamen ministerium aliquod adhibere, vel applicando objecta sensibus externis, vel interiora phantasmata excitando, ut mentem hominis attendere faciant, et (ut sic dicam) Deo præbeant occasionem supernaturaliter illum excitandi.

5. *Neque repugnat pure gratiæ.* — Altera pars de ratione gratiæ probatur. Primum, quia hoc ministerium Ecclesiæ, per se loquendo, non inducit apud Deum aliquam rationem debiti, propter quod Deus talem excitationem supernaturaliter dare teneatur, quia solum tenetur dare concursum generalem ex natura rei debitum illis actionibus, qui sufficere quidem ad excitandum in mente attentionem aliquam, vel conceptum; nunquam tamen satis erit ad excitationem necessariam ad supernaturalem concursum faciendum, nisi Deus altiori modo mentem ipsam moveat, ut supra declaratum est. Altior autem illa motio non fit debita propter prædicationem externam verbi Dei, vel aliud simile ministerium humanum, imo neque constat Deum ita promississe dare similes excitationes audientibus verbum Dei, vel oblata alia simili occasione, quin interdum eas negare possit et neget, propter hominis demerita, vel alia occulta judicia sua.

6. *Assertio ampliatur et illustratur.* — Dico vero ulterius quod, licet de hoc esset certa lex a Deo statuta, dandi (ut ita dicam) hanc efficaciam verbo Evangelii sui, ut ita sit virtus in salutem omni credenti, et quasi instrumentum ad convertendas et curandas animas, ideoque ad præsentiam ejus infallibiliter Deus excitet mentem non ponentem obicem, nihilominus hoc non minueret rationem gratiæ in tali excitatione; tum quia totum illud ministerium verbi Dei est ex providentia supernaturali, et pertinet ad gratiam Dei externam, et ita in suo genere gratis etiam datur; tum quia ipsamet prædicatio Evangelii non fit sine speciali auxilio Dei, quod auxilium, licet respectu ministrorum sit gratia proxime illis concessa ad operandum, etiam est gratia respectu audientium, propter quorum fructum vel conversionem datur, et ideo etiam ex hac parte initium vocationis est omnino gratuitum; tum denique, quia moraliter loquendo, illa exterior vocatio, et interior, quam Deus adjungit, non

sunt veluti duæ gratiæ, sed est una integra divina vocatio, ad eum modum quo ex actu interiori et exteriori fit unus actus moralis, et ita tota illa est una vocatio, quæ omnino gratis datur.

7. *Quo pacto ministri Ecclesiæ possunt concurrere ad primam vocationem eorum qui convertuntur.* — Ultimo vero addo posse ministros Ecclesiæ juvare homines quos instruunt, non solum prædicando, movendo, et alia externa ministeria exercendo, sed etiam apud Deum, pro illis quos docent vel gubernant intercedendo. Et hoc modo possunt conatus Ecclesiæ concurrere ad excitationem seu primam vocationem alterius, etiam ad fidem, non solum per modum conditionis ordinarie requisitæ, seu causæ moralis inducentis, sed etiam per modum meriti de congruo, et impetrationis. Quia licet nemo possit sibi primam vocationem mereri, ut dicemus libro sequenti, unus tamen justus potest alteri illam mereri, sicut Stephanus meruit vocationem Pauli, et ita potest etiam Ecclesia vel minister ejus impetrare a Deo ut præbeat auxilium vocationis internæ eis quibus Evangelium prædicat, neque hoc minuit rationem gratiæ in tali vocatione, quia respectu impetrantis seu merentis procedit ex priori gratia fidei, vel etiam charitatis; respectu autem ejus qui vocatur, semper vocatio illi omnino gratis datur; imo etiam gratia illa, quæ prædicatori data est ad orandum pro audiente, fuit gratuitum beneficium gratiæ ipsi vocato donatum, quia licet alteri immediate collatum fuerit, propter ipsum fuit ei datum. Et ita quocumque modo consideretur ministerium Ecclesiæ regulariter necessarium ad vocandos homines ad fidem, poenitentiam, vel fructum honorum operum, rationem gratiæ in interna et supernaturali vocatione non minuit.

CAPUT XII.

QUOMODO SUPERNATURALIS VOCATIO AB ACTIBUS EORUM QUI VOCANTUR PENDERE POSSIT.

1. *Status difficultatis.* — Superest dicendum de conatu seu cooperatione ejus qui vocatur, an sit aliquo modo necessarius ad primam vocationem, quam quæstionem aliqui confundunt cum illa: an facienti quod in se est Deus conferat gratiam, etiam quoad primam vocationem, seu excitationem. Sed immerito, nam sunt quæstiones diversæ, et ideo hanc posteriorem in librum sequentem remittimus, quia cum declaratione sufficientis

auxilii conjuncta est. In priori ergo puncto, advertendum est sermonem esse posse, aut de conatu ipsius hominis vocati, quo simul cum Deo influit in ipsummet actum supernaturalem quo interius excitatur, vel de aliquo conatu prævio, quo ad illam vocationem tandem perveniatur; de priori nulla superest difficultas, jam enim supra definivimus nostras potentias effective concurrere ad hos actus excitantis gratiæ, quantumvis supernaturales sint: non possunt autem effective concurrere nisi conatum adhibendo; ergo aliquis conatus ex parte recipientis necessarius est, ad primam etiam excitationem divinam. Hic autem conatus non potest dici naturalis, nisi fortasse improprie, et per denominationem extrinsecam, quatenus est ab ipsa potentia, quæ est entitas naturalis; in se tamen spectatus supernaturalis est, quia est realiter idem cum actu naturali, et ipsamet actio, quia talis actus fit a Deo principaliter, et a potentia instrumentaliter, ut loquitur D. Thomas, 3 contra gent., cap. 149, ideoque non est a potentia, ut naturalis est, sed ut obediencialiter subest motioni divinæ. Ac proinde ex tali conatu potentiæ non minuitur ratio gratiæ in tali motione; tum quia non est liber, sed necessarius; tum etiam quia non est prævius, sed simultaneus cum influxu Dei. Neque etiam obest supernaturalitati actus, quia tribuitur per potentiam obediencialem, ut dixi: potentia autem obediencialis optime potest influere in actum supernaturalem, ut in lib. 2 explicavi, et in his actibus necessariis multo facilius quam in liberis intelligitur.

2. *Sententia Molinae de conatu prævio ex parte hominis adhibendo proponitur.* — Difficultus ergo est de conatu prævio, qui interdum ex parte hominis adhibendus est, vel adhibetur, ut tandem supernaturalem vocationem internam obtineat, de quo conatu disputant prædicti auctores. Nam Molina dicit posse et debere hominem, naturalem conatum ad aliquas actiones naturalis ordinis adhibere, ut per eum non stet quominus proxime ad fidem vocetur interius. Hujusmodi sunt conatus, aut diligentia ad audiendam fidem et considerandum. Item intentio vel desiderium aliquod invenienti veritatem, seu veram religionem, et salutis viam, et similes; nam hæc et similia regulariter necessaria sunt ante fidem, quia Deus se accommodat naturali modo procedendi hominis in acquirenda cogitatione, et merito ab illo postulat diligentiam in his quæ ex parte sua cum generali concursu suo efficere potest. Illa

autem omnia quæ diximus talia sunt ut per conatum naturalem fieri possint, imperfecto quidem modo, sufficiente tamen ad illud remotum et quasi externum initium fidei; nam adire concionem et audire illam naturale quid est, et necessarium ad acquirendas species quibus de rebus fidei cogitari possit. Item illa actio in initio non fit ex motivo supernaturali, non enim potest tale motivum haberi ante perfectum auditum fidei; ergo debet fieri ex motivo naturali; ergo actu et conatu naturali. Idemque consequenter dicendum erit de aliis actionibus voluntarie attendendi, cogitandi, desiderandi, imo et petendi agnitionem veritatis seu veram fidem, in illa materia: nam omnes isti actus esse possunt ordinis naturalis, quatenus imperfecto et humano modo possunt in illa materia versari; ergo ut homo non sit negligens in sua salute, oportet ut in his omnibus per naturalem conatum faciat quod potuerit.

3. *Displicet modernis Theologis, qui in contrarium adducunt loca Scripturæ et Patrum.*—Hæc vero sententia aliis modernis Theologis displicet, quia videtur nimium tribuere naturæ, et libero arbitrio operanti ex solo conatu naturali in ordine ad suam salutem. Nam regula doctrinalis in hac materia est, nihil omnino posse facere hominem, quod aliquo modo conferat ad salutem æternam, sine gratia Dei per Christum, juxta verbum Christi: *Sine me nihil potestis facere*, id est, ut ponderat Augustinus, *neque multum, neque parum, neque magnum, neque parvum*, ut multis aliis testimoniis in libro 2 confirmatum est. In illis autem actionibus quas enumeravimus, quibus auditor doctrinæ fidei paulatim tendit ad internam vocationem proxime sufficientem ad voluntatem credendi, multæ sunt actiones valde utiles, et regulariter necessariae ad salutem, juxta ordinarium modum providentiæ divinæ; ergo non possumus dicere omnes illas fieri solo conatu naturali, neque videtur modo loquendi Scripturæ et Conciliorum consentaneum. Minor cum consequentia declaratur. Nam imprimis oportunitas habendi prædicatorem Evangelii, gratiæ Dei tribuenda est, ut probat exemplum vocationis Pauli ad prædicandum in Macedonia, et non in Asia, seu Bithynia, Actor. 16. Et sæpe docet Augustinus, ut videri potest supra, Psalm. 87, et super Psalm. 134, et lib. Quinquaginta Homiliarum, in 23, et lib. 4 de Peccat. merit. et remiss., c. 22, et quæst. 2 ad Simplic., et Gregorius, 20 Moralium, cap. 48, quia neque potest homo illam occasionem sibi præparare, neque sine

Dei providentia peculiari evenire potest. Deinde attendere ut oportet ad ea quæ prædicantur, gratiæ Dei est, juxta illud quod de Lydia purpuraria dicitur, Actor. 16: *Cujus Dominus aperuit cor, attendere his quæ dicebantur a Paulo*. Item cogitare de eisdem rebus in ordine ad salutem comprehenditur sub illa regula Pauli, 2 ad Corinth. 3: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*, ut supra cum Augustino et aliis Patribus explicavimus. Denique desiderium, petitio, et similes actus, si ad fidem aliquo modo conducunt, videntur comprehendere sub regula Concilii Arausicani, cap. 6 et 7: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, etc., non autem ut hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem Sancti Spiritus in nobis fieri confitetur, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Item si quis per naturæ vigorem bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare posse affirmat sine inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur spiritu.*

4. *Ad enodationem questionis præmittitur distinctio duplicis vocationis ad fidem: prima est remota et externa; secunda proxima et interna.*—Ut litem hanc aliquo modo componamus, et rem ipsam sine verborum ambiguitate vel contentione declarem, distinguamus duplicem vocationem ad fidem, videlicet remotam et proximam, seu externam et internam. Remotam voco illam quam potest facere homo plantando et rigando; proximam vero quam interior facit Deus, ut homo sit maxime potens ad suam conversionem; itaque dixit Gregorius, homil. 33 in Evangelium, loquens de Christo et Magdalena: *Ipsæ eam per misericordiam traxit intus, qui per mansuetudinem suscepit foris*. Et Leo Papa, loquens de Stella et Magis, serm. 4 de Epiphania: *Dedit (inquit) aspicientibus intellectum, qui præstitit signum, et quod fecit intelligi, fecit requiri, et se invenendum obtulit requisitus*. Et Augustinus, de Corrept. et grat., cap. 6: *Corripiatur peccator, ut strepitu correptionis forinsecus insonante, Deus in illo intrinsecus occulta inspiratione operetur et velle*. Priorem vero vocationem appello remotam, quia per se non sufficit, nec dat auxilium sufficiens ad fidem, sed quamdam inchoationem, et quasi materiale præparationem ad illam; alteram vero proximam, quia, ut dat sufficientem facultatem operandi, ex illa potest immediate sequi voluntas credendi.

5. *Prima convenientia inter utramque voca-*

tionem: utraque pertinet ad gratiam excitantem.—*Secunda convenientia: utraque pertinet ad ordinem gratiæ et providentiæ supernaturalis.*—*Tertia convenientia: in utraque salvatur vera ratio gratiæ ut donum gratuitum est.*—Primo, adverto has duas vocationes partim convenire, partim differre. Conveniunt imprimis, quod utraque fit vel incipit in nobis sine nobis ad aliquam illarum proxime cooperantibus libere: nam utraque pertinet ad motionem seu gratiam excitantem, de qua supra ostensum est fieri in nobis sine nostra libera cooperatione. Et de priori quidem patet, quia per illam fit quasi prima apprehensio vel conceptio rerum fidei, ante quam non potest præcedere voluntas, quæ circa easdem res versetur. Et licet contingere possit ut aliquis voluntarie accedat ad audiendam fidem, et hac ratione, notitia vel apprehensio inde comparata possit dici libere acquisita, nihilominus necesse est ut ante illam voluntatem antecedit prior aliqua apprehensio fidei seu prædicationis ejus, saltem in confuso, quæ hominem ad illam voluntatem incitet, et tunc ab illa apprehensione incipit talis vocatio, et ita semper reducit ad aliquam primam motionem, quæ in nobis fit sine libertate nostra. De altera vero interna vocatione, id est in superioribus probatum, et patebit magis ex dicendis. Secundo, conveniunt quod utraque vocatio pertinet ad ordinem gratiæ et providentiæ supernaturalis. De interna id satis patet ex dictis; de externa vero probatur, quia ordinatur ad internam, quæ supernaturalis est, et originem ducit ex donis gratiæ, quæ ad trahendos et vocandos homines ad finem et pœnitentiam Deus in Ecclesia sua præparavit, et ita est beneficium gratiæ et providentiæ supernaturalis. Unde D. Thom. in 2, distinct. 28, q. 4, art. 4, ait quodlibet exercitium, etiam naturale, quatenus ordinatur a Deo ad conversionem supernaturalem, dici posse gratiam. Denique, ex distinctione posita in principio capituli præcedentis id manifestum est. Tertio conveniunt, quia in utraque salvatur vera ratio gratiæ, ut significat donum gratuitum, quod non ex operibus datur, quod quidem de prima vocatione externa manifestum est, quia ante illam nihil potest ex parte hominis præcedere quod ad illam ordinetur, ut ex declaratione proxime data, et ex doctrina Augustini ad Simplician., quæstione 2, et de Dono persever., capite 14, et de Spirit. et litter., capite 33 et 34, manifestum est. De posteriori autem probatum est late superiori libro, cap.

13 et 15, et magis ex sequentibus declarabitur.

6. *Discrimen præcipuum inter utramque vocationem: exterior est in substantia sua naturalis, interior vero supernaturalis.*—Differunt autem hæc duæ vocationes in hoc maxime, quod exterior est in substantia sua naturalis, interior vero supernaturalis. Hoc secundum probatum est in capite præcedenti. Primum autem indubitatum videtur, quia sicut ex parte ministrorum Ecclesiæ externa prædicatio est in substantia naturalis, ut per se patet, ita ex parte audientis prima illa conceptio et apprehensio naturaliter fit. Unde sicut de excitatione supernaturali diximus non fieri proprie conatu naturali, sed obediuntialiter a nostris potentiis, ita prorsus de interna vocatione dicendum est, quia sunt omnino idem. At vero excitatio illa, quæ proxime fit per vocationem externam, per naturalem conatum potentiæ fit, quia tam actus ipse quam productio ejus naturalis est, ut diximus, et eadem ratione voluntas audiendi prædicatorem, quæ interdum antecedit, ut dixi, in substantia sua naturalis est, quia non est voluntas credendi, sed audiendi tantum, quæ in eo statu non potest ex motivo supernaturali procedere; imo continget aliquando ut sit peccaminosa, ut si quis velit audire prædicantem animo irridendi illum, et nihilominus potest Deus illam voluntatem postea bene uti ad convertendum in illam concionem talem peccatorem. Et sic licet illa voluntas non fuerit ex gratia, permissio illius potuit esse ex providentia gratiæ. Aliquando vero esse potest illa voluntas ex intentione bona discendi veritatem, et tunc erit quidem ex aliqua bona inspiratione Dei, nondum tamen supernaturali in substantia, quia motivum illud generale nondum est supernaturale, neque includit absolutam credendi voluntatem.

7. *Secundum discrimen.*—Secundo differunt, quia externa vocatio est simpliciter prima; interna vero, comparatione illius, est secunda, quamvis, in ordine superioris gratiæ supernaturalis simpliciter et in entitate sua, interna vocatio sit prima simpliciter; quia vero vocatio exterior ad internam ordinatur, et per se sola quasi nihil est, nisi per internam quasi formetur, ideo ex utraque fieri censetur una vocatio perfecta, quæ prima gratia auxilians simpliciter vocari solet.

8. *Tertium discrimen.*—Tertia differentia et notanda est quod ante vocationem primam externam nullus actus liber ex parte hominis

antecedit, quod ad illam per se vel ex intentione operantis referatur, ut paulo antea satis explicavi, quia ante illam vocationem nulla cogitatio salutis vel rerum fidei in mentem subit: sine hac autem cogitatione, non potest subsequi actus liber. At vero possunt aliqui actus liberi ab homine fieri circa materiam talis vocationis, antequam supernaturalem vocationem internam recipiat, quia non semper dat Deus internam inspirationem supernaturalem in eodem momento vel tempore in quo homo incipit audire res fidei; sed magna temporis mora inter illam et alteram vocationem potest sæpius intercedere: tum quia de hoc nullam habemus certam legem aut promissionem Dei, sed pendet ex ejus libera voluntate, et ita quosdam velocius, quosdam tardius vocat: tum etiam quia non potest homo subito percipere fidem sibi propositam, et credibilitatem ejus, et sæpe necessarium est errores prius conceptos repellere, et de falsitate illorum aliquo modo convinci, quod sine mora temporis non fit. Et quamvis possit Deus, efficacitate sua, et abundantia luminis, subito mentem illuminare, regulariter tamen loquendo non ita facit, sed hominem humano modo paulatim ducit, prius per homines instruendo et postea tempore opportuno internam vocationem immittendo. Hac ergo ratione sæpe intendere potest homo, jam exterius vocatus, libere facere aliquos actus, antequam supernaturalem inspirationem internam recipiat, ut sunt supra numerati, scilicet, applicare mentem ad cogitandum, vel meditandum de rebus auditis, aut velle iterum eas audire, sicut Athenienses, qui Paulum audierant, licet nondum credidissent, dixerunt Paulo: *Audiemus te de hoc iterum*, Actor. 17, et similes.

9. *Explicantur actus intermedii liberi inter utramque vocationem.*—*Dubium primum, quales hi actus secundum substantiam et quo conatu fiant.*—*Resolutionis prima pars: naturales sunt entitative.*—De his ergo actibus mediis inter utramque vocationem videtur esse controversia inter dictos auctores; nam de vocationibus ipsis quatenus sunt actus quidam non liberi, nulla controversia relinquere potest, si ea quæ diximus attente consideremus. De illis autem intermediis actibus liberis multa quæri possunt. Primum, quo conatu quibusve fiant viribus. Secundum, quantum ad obtinendam internam vocationem conferant. Tertium, quam sint ad illam necessarii. Ex quibus primum est quod præcipue hic agimus, in illoque dicendum imprimis est, illos actus esse quoad

substantiam naturales. Probatur primo, quia ante supernaturalem excitationem non potest esse in homine actus liber supernaturalis quoad substantiam ut ex dictis hic et in libro præcedenti constat: sed isti actus antecedunt primam excitationem supernaturalem, ut declaratum est; ergo non sunt in substantia sua supernaturales; ergo naturales. Secundo, est simile argumentum, quod ante voluntatem credendi supernaturalem, et primum actum fidei illi correspondentem, nullus est in homine actus humanus ac liber supernaturalis ordinis: illi autem actus liberi, de quibus tractamus, antecedunt fidem infusam et voluntatem credendi; ergo sunt ordinis naturalis. Tertio, est ratio a priori, quia isti actus non habent objecta formalia supernaturalia, quia neque objectum fidei supponitur pro illo tempore sufficienter propositum, ut in discursu declaratum est, neque ante fidem excitatur voluntas ab objectis propriis et formalibus aliarum virtutum infusarum. Igitur toto illo tempore versatur voluntas circa illam materiam, ut subest alicui motivo naturali, sive illud speciale sit, sive generale, quale est cupere invenire veram fidem aut religionem, quod etiam Judæi et Ethnici facere possunt.

10. *Resolutionis secunda pars: naturali virtute fiunt ex propria efficacia physica.*—Hinc ergo ulterius sequitur actus illos fieri conatu naturali, et viribus liberi arbitrii moraliter excitati, et adjuti per antecedentem vocationem, licet externam. Primum patet, quia illi actus sunt naturales in substantia; ergo fiunt per actionem naturalem: actio autem et conatio naturalis idem sunt; ergo fiunt conatu naturali. Ad exhibendum autem naturalem conatum, naturales vires sufficiunt; ergo actus illi quoad substantiam suam fiunt per naturales vires liberi arbitrii. Ulterius vero addimus illos actus non fieri cum modo aliquo reali ac physico in illis existente, qui supernaturalis sit, nam talis modus neque nobis videtur possibilis, quantum sub philosophicam notitiam cadit, ut in loco præcedenti late discurremus, et quamvis cogitaretur possibilis, frustra et sine fundamento fingeretur inesse his actibus; ergo neque ratione talis modi necessariae sunt vires vel conatus ultranaturales ad efficiendos hos actus. Et ita de similibus actibus loquuntur communiter Theologi, ut patet ex Scoto, Gabriele, et aliis, in tertia, distinctione vigesima tertia, dicentibus, audita prædicatione Evangelii posse hominem prius credere per vires naturæ fide acquisita, quam

infusa. Imo Gabriel, quæstione tertia, conclusionem primam, putat illum ordinem esse necessarium, scilicet, prius assentiri propriis viribus imperfecte, ut paulatim elevetur ad actum infusum et perfectum. Et Vega, libro sexto in Tridentinum, capite decimo tertio, dicit ut plurimum ita esse. Nobis vero satis est quod id possit fieri et sæpe fiat; nam si audita fide potest homo progredi usque ad assensum naturalem, sua libertate, et discursu naturali fundato tantum in humana auctoritate, vel sensibilibus signis et argumentis, multo magis poterit eadem libertate vel imperfecte desiderare majorem cognitionem illius, vel se movere ad audiendum verbum prædicationis, vel ad attendendum, cogitandum, etc.

11. *Resolutionis tertia pars: necessaria est excitatio prævia naturalis, quæ prout datur ex providentia gratiæ donum gratiæ est.*—Sunt ergo hæc naturalia in substantia sua, et naturali virtute fiunt ex propria efficacia physica: nam moraliter necessaria est excitatio prævia, quæ, licet in se naturalis sit, et naturali conatu fiat, nihilominus gratia est, quatenus ex providentia gratiæ procedit. Unde simili modo possunt prædicti actus, licet naturales sint, inter dona gratiæ computari, quia neque fiunt sine aliquo auxilio gratiæ, neque ipsi erant debiti naturæ, nec concursus qui ad illos datur est debitus ex vi naturalis providentiæ, sed supposito ordine gratiæ.

12. *Ad motiva secundæ sententiæ.*—Et hoc ad summum probant quæ in favorem secundæ sententiæ adduximus: nam licet principaliter procedant de inspiratione divina et excitatione supernaturali, quæ datur tanquam proximum auxilium ad actum supernaturalem et infusum, nihilominus cum proportionem procedunt in his actibus imperfectis, quatenus aliquo modo ad finem vocationis conducunt, nam ut sic ad ordinem gratiæ pertinent secundum quemdam modum, et non fiunt sine aliquo auxilio gratiæ excitantis, nam, ut diximus, illa vocatio prævia, licet ex sensibilibus orta, gratia quædam est, et propter Christum datur. Neque Molina, neque alius ex defensoribus primæ sententiæ excludunt a prædictis actibus hoc genus gratiæ, sed solam illam quæ ordinis est supernaturalis, ut aperte declaravit Molina, disputat. trigesima quinta, in fine, et trigesima sexta, in principio, in Concordia, ad articulum decimum tertium, et ita in illo primo puncto nulla videtur superesse difficultas.

13. *Notanda circa secundum et tertium dubium propositum supra, numer. 9.*—*Duplex ratio causalitatis.*—*Placet nonnullis orthodoxis Doctoribus primum genus causalitatis.*—*Improbatur a nobis.*—Circa secundum autem et tertium punctum, quæ proposui, quia magis pertinent ad librum sequentem, hic pauca breviter advertam. Unum est, hos actus liberos qui possunt et solent intercedere post primam excitationem externam, duobus modis posse comparari ad primam excitationem supernaturalem, seu primum salutis auxilium; scilicet, vel per modum meriti seu moralis dispositionis, vel removendo impedimentum et quasi materialiter habilitando subjectum. Aliqui ergo Auctores Catholici primum genus causalitatis, in his actibus, respectu primæ excitationis supernaturalis admittunt, qui in hoc a Semipelagianis discrepant, quod illos actus et qualemcumque rationem meriti vel dispositionis moralis in eis inventam non tribuunt soli libero arbitrio, sed ut excitato et adjuto per excitationem illam externam, et cogitationem honestam inde conceptam, quæ gratia est, cum sit ultra naturæ debitum, et ex supernaturali providentia proveniat, etiamsi nondum sit in sua entitate supernaturalis. Mihi autem hæc sententia non placet; tum quia illa gratia non videtur excedere rationem legis et doctrinæ, et ita neque Semipelagiani illam negarent; tum quia ante internum et proximum fidei initium non potest esse in homine aliquod meritum doni alicujus supernaturalis, alias fides ipsa et initium fidei posset sub aliquo merito cadere, quod admittendum non est, ut libro sequenti ostendam. Dico ergo omnes illos actus, eo ipso quod neque ex fide, neque ex interno auxilio supernaturali procedunt, non esse proportionatos ad meritum quodcumque in causalitatem moralem internæ vocationis supernaturalis.

14. *Expenditur causalitas materialis removendo impedimenta vocationis variis modis.*—Alio ergo modo possunt illi actus aliquo modo conferre materialiter tantum, et ex parte subjecti, removendo impedimenta vocationis, et acquirendo dispositionem corporalem, vel habitudinem quæ minus ineptum reddat hominem ad vocationem. Et primo quidem dum homo se exercet in his actibus, nova cavet peccata, quæ possint vocationem impedire, et ex parte sua excutit torporem et negligentiam, quæ possit illi ad culpam imputari; deinde si homo sit diligens in recogitatione eorum quæ audivit a prædicatore fidei, fieri potest ut per-